

ANASTASII  
GERMONII

I. C. ARCHIDIACONI  
TAVRINENSIS,

*Et in eiusdem civitatis celeberrimo gymnasio iuris Pontificij  
Interpretis,*

[Animadversionum tam ex iure Pontificio,  
quàm Cæsareo, Libri duo.]

AD SERENISSIMUM CAROLVM EMANVELEM  
Allobrogum Ducem, & Italiae Subalpinae Principem.



*Num. 5. Cap. X  
Num. 83.*

AVGVSTÆ TAVRINORVM, Apud Hæredem Nicolai Benilaque, 1586.

Ex Superiorum permissu.

COLL SOC IESV SALM. EX DONO REGVM.

SERENISSIMO  
CAROLO EMANVELI  
ALLOBROGVM DVCI,

SVBALPINÆQVE ITALIÆ  
PRINCIPI, &c.

Anastasius Germonius Archid. Taurin.

S. P. D.



QVAM difficile, & periculosum sit, vulgicq; temerario iudicio obnoxium, CAROLE SERENISSIME PRINCEPS, hoc scribendi genus, quod in legum, iurisq; interpretatione est positum, ignorant perquam pauci. Cuius difficultatis causa partim in re ipsa videtur esse. cum enim reliquæ artes ac scientiæ ita se habere proculdubio videantur, ut ijs principijs consent, quæ aut omnino certa sunt, aut saltem probabilia putantur; quibus ex principijs, tanquam ex fontibus, cætera derivare difficile admodum non sit: hoc in iuris scientiâ haberi nequaquam potest. Siquam enim originem, caput, & principium habet, ut habere, & quidem nobilissima, inficiari non possumus, ea sunt tam alte, longeq; petita, ut quæ inde sequuntur, sint veluti innumeri prope riuuli ex fonte vno deducti, qui diuersa in loca, longisq; interuallis, & itineribus trahuntur ita, ut illa perquirere laboriosissimum sit, et pene impossibile. Quod malum non aliunde, quam ex multiplici ipsius iurisprudentiæ argumento, in humanis actibus, negotijs, & accidentibus, quorum nunquam in eodem statu permanens, sed fluxa, mutabilisq; natura est, consistente oriri videtur. Altera verò difficultatis pars, quæ hodie longe peius habet scriptores, ex ipsorum iuris interpretum dissidio, & dissensione, ac sæpe præpostera voluntate, & vario cuiusq; iudicio, proficiscitur. Alijs quidem obesse existimant linguarum peritiam, antiquitatis cognitionem, disserendi atque dicendi rationem, & cæteras artes, atq; disciplinas, quibus veteres iuriconsultos præditos fuisse videmus. Ideoq; nec verborum delectu, nec bonorum autorum sententijs in legibus, canonibusq; explanandis opus esse asserunt: sed illud dicendi genus, quo superioris seculi homines nati in ipsius Latinæ linguæ tenebris, vti sunt, vtilius esse opinantur. Nec quicquam certi constitui posse illis videtur, nisi per magnam Doctorum con-

# ANASTASII

## GERMONIICI

Et in Florentissimo Taurinensi Gymnasio  
Iuris Pontificij interpretis,

## ANIMADVERSIONVM

*Tam ex iure Pontificio, quàm Casareo,*

### LIBER PRIMVS.

*Quomodo Princeps dicatur esse solutus legibus: & Interpretatio l. Princeps.  
ff. de legib. & l. ex imperfecto. ff. de legat. 3. cum  
alijs quibusdam. Cap. I.*



**V**LPRIANVS in l. Princeps. ff. de legib. scribit Principem legibus solutum esse. Paulus verò in l. ex imperfecto. ff. de legat. 3. Ex imperfecto, inquit, testamento legata, vel fideicommissa Imperatorem vindicare verecundum est: decet enim tantæ maiestati cas seruare leges, quibus ipse solutus videtur. idem Alex. Imperator in l. ex imperfecto. C. de testamento ait, nihil esse tam proprium imperij, quàm legibus vivere; ita vt ex imperfecto testamento hereditatem vindicare non possit. & in l. 4. C. ad leg. Fal. cuius autor est idem Alex. optimus, & Iustissimus Princeps; Si quid legatum fuerit Principi, posse heredem falcidiam detrahere. Imperatores quoque Theodosius, & Valentinianus in l. digna. C. de legib. Digna, inquit, vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. Has omnes leges, & si contrariæ non sunt, conciliare tamen nixi sunt Græci interpretes, scilicet l. Princeps, accipiendam esse de legibus poenarijs; vir doctissimus Cuiatius lib. obser. 15. cap. 30. de Caduciarijs: cum eius inscriptio sit ad legem Iuliam, & Papiam: quæ satis per se erant odiosæ, quas de inde fauore populi abrogauit Iustinianus in l. vnica C. de caducis tollend. eiusdem opinionis est Antonius Augustinus, vere alioquin iuris sacerdos, in suo de legibus tractatu in fine principij. Vulgò Latini interpretes de quibuscunque legibus volunt intelligi. Male, meo iudicio, omnes. Rem hanc rectissime, & pulchre videtur explicasse vnus D. Thomas Aquinas 1. secundæ. q.